

*Leistungskurs Bayern 1993*

**Alle Menschen sind Brüder**

*(Cic. de off. 3,27-30)*

Si hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consulat, necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes et eadem lege naturae, idque ipsum si ita est, certe violare alterum naturae lege prohibemur.

Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos sui commodi causa, aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus; quae sententia omnem societatem distrahit civitatis.

Qui autem civium rationem dicunt habendam (1), externorum (2) negant, ii dirimunt communem humani generis societatem. Qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur; quae qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii iudicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt; cuius societatis artissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi causa quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi, quae (3) vacent iustitia. Haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minime vero; non enim mihi est vita mea utilior quam animi talis affectio, ut neminem violem commodi mei gratia. Nam si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuae causa detraxeris, inhumane feceris contraque naturae legem. (226 Wörter)

- 
- |     |                          |                                     |
|-----|--------------------------|-------------------------------------|
| (1) | rationem habere alicuius | hier: Rücksicht nehmen auf jemanden |
| (2) | externi, -orum           | Fremde, Ausländer                   |
| (3) | quae                     | hier: sofern sie                    |